DE JODI VI ET EFFECTU IN MORBIS VARIIS CURANDIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

FERDINANDUS LUBOWSKI

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

A. ENGELBRECHT, med. et chir. Dr.

C. KRIEGER, med. et chir. Dr.

C. SCHWAND, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PARENTIBUS

OPTIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

NEC NON

AMICIS
CARISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

LITTERATURA.

Geiger's Handbuch der Pharmazie. Bd. I. 3te Aufl. S. 237.

Orfila's allgemeine Toxikologie, ausg. von Kühn. Bd. I. S. 53—541.

Cogswell, an experimental essay on the relative physiological and medicinal properties of Jodine and its compounds. Edinburgh 1837. 8.

Manson, medicinal researches on the effects of Jodine in Bronchocele, Paralysis, Chorea etc. London 1825.

Formey, Nachrichten über den Kropf und über ein dagegen neu entdecktes Mittel. 3te Auflage. Berlin 1822.

Hedenus, tractatus de glandula thyreoidea etc. Leipzig 1822.

Lugol, Mémoire sur l'emploi de l'iode dans les maladies scrofuleuses. Paris 1829.

Idem, troisième mémoire sur l'emploi de jode etc. Paris 1831.

Künzli, Ueber die Jodine. Winterthur 1836.

Douglas, dissert. de Jodina. Edinburgh 1827.

Propositum mihi est, ut de Jodi in variis morbis vi et effectu disseram, ad quos curandos hucusque adhibitum magis minusve viris medicis profuit. Qua de re quae experientissimi in re medica auctores docuerunt, omnia colligere pro viribus studui, id ipsum satisfacturum esse ratus officio, quod debeo, dissertationis conscribendae.

I. Struma.

Quum Jodum pristinis temporibus contra strumam solam in usum sit vocatum, quumque nunc quoque a quibusdam medicis vix ad aliorum morborum medelam conferatur, haud ineptum videbitur, quod ab hoc glandulae thyreoïdeae morbo exorsus jam ea profero, quae de Jodi in huncce morbum effectu experientia docuit.

Id profecto constat, eandem hanc efficaciam ita esse multifariis documentis confirmatam, ut vix alius cujusquam medicaminis in morbos quosdam vis certior sit habenda. Ex illo quidem tempore, quo primus Coindet ad illam

Jodi virtutem virorum medicorum animos advertit, permulti eandem observatam comprobarunt, quos tamquam testes et auctores laudare haud sane opus sit.

In iis praesertim regionibus, ubi struma grassatur epidemia, frequentissima oblata occasione pericula de saluberrimis Jodi viribus faciendi, illud optimae a medicis notae habetur.

Mansoni experientia docti scimus: Ex 116 aegrotis sanatos esse 76, 10 valetudinem multo meliorem recuperasse, 17 non tanto meliorem, 2 in eodem statu remansisse. Qualis fuerit apud 11, qui restant, aegrotos curae eventus, nescit ille quidem, quia a curatione postea abstinentes non revenerunt.

Bayle quotcunque aegrotos struma laborantes in variis libris commemoratos inveniebat, eos in ordinem contulit, ut 369 numerum exhiberent. Ex quibus 269 certe sanati sunt. Hunc igitur ejusdem remedii successum non tam faustum esse, quam quem Manson observavit, videmus. At vel sunt, qui contendant, Jodum parum tantummodo utilitatis in curanda struma afferre, et ii praecipue, qui in regionibus, ubi endemia illa non est, medicorum officio funguntur.

Bardsley e 30 aegrotorum numero se 9 tantum

sanasse, praetereaque nonnisi sex aegrotis levamen quoddam parasse dicit.

Preira quoque affirmat, se Jodum saepius frustra quam prospero cum eventu adhibuisse, nec paucos esse, qui idem experti secum consentiant. Etiam medici Germanici idem conquesti sunt. Neque tamen, si omnes in universum respicimus, hujus medicaminis fides sublata est.

Qua in re hanc videlicet rationem habere debes, non in omnibus strumae speciebus Jodum eadem esse utilitate.

Formey illud tum tantum prodesse arbitratur, si morbus in ipsius glandulae tela sedem fixerit. Esse autem strumae quandam speciem, quae telae cellulosae glandulam cingentis relaxatione morbosa enata sit. In qua Jodum nullo esse emolumento. Alii vero sua experientia innixi negant, et praecipue in unguenti formam redactum in hanc quoque telae cellulosae strumam prospere agere contendunt. Hufeland et Graefe observarunt, Jodum nonnisi in iis strumae speciebus bonae frugi esse, quae doloribus vacarent, in his vero omnibus, quae doloribus essent insignes, non solum nihil prodesse sed vel nocere.

Kolley hanc posuit sententiam: id persuasum habeas opus esse: 1) tumorem re vera esse glandulae thyreoïdeae, 2) non graviorem exstare degenerationem, qualis sit e. g. scirrhosa, 3) tumorem non esse nimis invete-

ratum, 4) nullam adesse cachexiam neque febri hectica aegrotum correptum esse, 5) strumam ipsam neque inflammatam esse neque dolere.

Verum harum contraindicationum quaedam nullo sunt momento, nisi quod apta curatione e medio tollendae sunt, antequam Jodo uti coneris. —

Cujus rei respectu habito Coindet: Jodum, ait, non in struma quacunque esse adhibendum neque semper ab initio, sed, uti status verae inflammationis exstet, antequam Jodum in usum vocaveris, hirudines, cataplasmata emollientia et quae sunt reliqua, applicanda esse; aut ubi dispositionem corporis biliosam offenderis, remedia porrigenda purgantia. Quodsi facere miseris, ventriculum aegre laturum Jodum sumtum, quod, qua est turbata functione, digerere non valeat. — Et idem addit: haecce symptomata et vel postea demum struma perdurante oboriri, contra quae tunc quoque iisdem medicaminibus dimicandum sit. Neque igitur id solum interesse, ut, quicunque struma laboret, huic Jodum praescribas, sed etiam varias et diversas indicationes, quae offerantur, respiciendas esse; quibus neglectis sanationem certe magis minusve dubiam fore.

Variarum strumae specierum ratione habita, haec in universum ponenda videantur: Praecipue in struma lym-

phatica Jodum singulari auxilio est, multo autem minori in struma vasculosa et scirrhosa, nullo omnino in struma cystica esse videtur. Per se ipsum intelligitur, massis vitiose formatis aut cartilagineis aut adeo osseis, si quae in glandula thyreoïdea inhaereant, remedium nostrum admodum prohiberi, quominus perfectam sanationem peragat. Quodsi consideraris, quam diversam in diversas strumae species vim exhibeat Jodum, quam inepte et imprudenter haud raro in adhibendo eo agatur etc., non mirabere profecto, quod medici quidam hoc medicamen tamquam fallax spernunt seque spe frustratos lugent.

Quum Jodum prospere agit, plerumque eo per septimanam adhibito, cutis redditur minus tensa, rugosa tumor apparet mollior tumque sensim sensimque ejus magnitudo decrescit. Si struma e pluribus nucleis, ut ita dicam, constat, animadvertere poteris, quomodo eorum alius ab alio sejungatur ipsique sensim sensimque solvantur. Respiratio ante difficilis et vox mutata, sublato impedimento, ad normam recedunt et plerumque tumor post sex septimanas aut certe post duos menses evanescit, ut ejus ne vestigium quidem restet. — Coindet 8—10 septimanas ad medelam perficiendam de regula necessarias esse putat. Nonnunquam autem mirum in modum effectus celer supervenit. De Cairo narrat, apud aegrotum, reme-

dio per septemdecim dies sumto, colli amplitudinem decrevisse. Coindet casum refert gravissimum de aegroto, qui struma laboravit haud levi magnitudine. Quam, Jodo per sex dies sumpto, jam admodum minutam fuisse. — Matrona quaedam 60 annorum jam ex 40 annis struma vexabatur. Haec Jodo uti jussa colli sui amplitudine, 25 diebus praeterlapsis, a 22″ ad 18″ diminuta gaudebat.

Primum Jodum contra strumam interne adhibuerunt in tincturae formam redactum. Posthac unguenti e kali hydrojodico parati externa applicatio praeferri solebat, quae nunc quoque ante omnia frequens est et maxime usitata. Quacum internum Jodi usum conjungere nonnunquam commodum aptumque videatur.

De efficacia cataplasmatum cum Jodo paratorum nihil certi cognitum habemus.

II. Hypertrophiae.

Sicuti contra strumam, quae plerumque nonnisi glandulae thyreoideae hypertrophia habenda est, ita contra hypertrophias aliorum quoque organorum Jodum salubrem exhibet potestatem, quamvis non tam singularem atque eximiam.

Praecipue quod attinet hypertrophiam mammarum

multi viri, iique magna auctoritate ac fide insignes, prosperum Iodi effectum experti nobiscum communicarunt.

Delfiz narrat, feminae triginta annos natae, syphiliticae mammas ad tantum magnitudinis gradum accrevisse, quae, si aegrota sederet, cruribus incumberent, et in dorsum reflexae resupinae sese attingerent. Quam mammarum amplitudinem profecto singularem et admiratione dignissimam unguento jodico et fomentationibus emollientibus multo minutam esse. — Fingerhutus contra illam, qua asthma thymicum procreatur, hypertrophiam glandulae thymi balnea cum Iodo parata commendat. Magendie Iodi usum internum contra hypertrophiam cordis. In nosocomio, quod vocant „Salpétrière," Iodi effectum spe sua atque expectatione multo minorem fuisse queritur, quum nonnisi parvum quoddam levamen attulisset. Cujus rei causam haud dubie in eo positam fuisse, quod simul valvularum et arteriarum ossificationes adfuissent, quod quidem de aegrotis, qui in hoc nosocomio versarentur, aetate longe provectis facile esset conjiciendum. At si qui juvenes valvularum hypertrophia laborantes ad curandum sibi traditi fuissent, tum Iodum multa et gravissima et utilissima praestitisse. Barbier autem Iodum in hypertrophia ventriculorum cordis adhibitum sibi unquam promissis stetisse negat.

III. Indurationes organorum imprimis glandularum.

Non solum in hypertrophia, sed etiam iis in tumoribus organorum glandulosorum aliorumque, qui in indurationem exeunt, Iodum auxilium tulisse fertur. Milligan exempli gratia tribus in casibus tumorum hepatis lienisque in infantibus remedium nostrum summo cum eventu porrexit; Abercrombie unguentum kali jodato in affectione hepatis cum ictero connexa prospere adhibuit, et Elliotson ex usu Iodi interno et externo tumorem hepatis chronicum celeriter diminutum observavit. Cerchiari unguentum jodatum in tumore tonsillarum, ex inflammationibus repetitis enato, magno emolumento in usum vocavit; nec minori auxilio Iodum externe adhibitum in tumore prostatae fuit. Rieke, natu major, intumescentiam corporum cavernosorum penis unguento jodato resolvit. Efficax quoque Iodum sese exhibuit et in indurationibus ovariorum, quo in morbo praecipue a medicis Anglicis usurpatus, et in intumescentia uteri cum induratione conjuncta. Commendatum quoque est Iodum in testium induratione; in casu, quo testes duritiem lapideam praebebant triplicemque in ambitum intumescebant, ita ut

castratione sola spem sperare possent, Iodum eximium praestitit auxilium. Quod ad scirrhum attinet, in quo Iodum a diversis auctoribus commendatum est, effectus ab aliis aliter describitur. Sunt qui mirum effectum et celerem et faustum Iodum in scirrho exhibuisse, tradant, (Magendie e. g. sese scirrhum linguae, per plures annos vigentem, intra quatuordecim dies sanasse narrat kali jodato) nec desunt, qui exiguam Iodi vim in scirrho accusent; alii nullum Iodi eventum in scirrho affirmant; alii immo nocere Iodum in morbo eodem edicunt, quia faveat transitui scirrhi in carcinoma. Spes temerarias falsas esse, extra omnem dubitationem est, quamvis negare non possimus, medicos nonnullos, quibus confidere fas est, re vera usum quendam e Iodo in scirrho adhibito vidisse. Quomodocunque res se habet, et in posterum remedium nostrum in morbo tentetur, necesse est, quem tollere nostrae nondum contigit therapiae.

IV. Affectiones articulorum.

Sicut Iodina in affectionibus scrophulosis remedium se praestat efficacissimum, qua de re deinceps copiosius disserere in animo nobis est, item diversi medici summo cum successu modo externe modo interne tantum Iodum

ad tumores articulorum resolvendos, qui maximam partem e scrophulosa quadam affectione exorti sunt, usurpabant. Buchmann tincturam Iodi externe in diversis articulorum affectionibus, imprimis in coxalgiae stadio progresso, eximio cum usu, ut dicit, adhibuit. Eadem ratione idem medicus articulationem spuriam post fracturam femoris exortam sanasse se ait. Cujus post medici oaservationes, quamvis certae non sint, sed eae quibus confidere dubitemus, tamen non negligimus Frusenii testimonium, qui tinctura Iodi illita articulationem spuriam a se sanatam narrat, quem sequentes concedere debemus, in hac ratione medendi spem adesse, colli secretionem augeri ejusque consistentiam meliorem reddi.

V. Tumores inflammatorii.

In tumoribus inflammatoriis quoque Iodum optimum effectum praebuisse fertur. Asmus unguento kali jodato in mammarum mulierum tumore inflammatorio cum successu fausto usum esse narrat. Schmalz in pernionibus unguento kali jodato cum Iodo composito laudem tribuit; immo Guerrard Iodum remedium celerrime salutare in uteri inflammationibus puerperarum praedicat. Unde elucet, qua ratione medici nonnulli experiantur, et

qua auctoritate nonnulla remedia in materiam medicam recepta sint.

VI. Scrophulosis et Tuberculosis.

In morbis scrophulosis primum in usum vocatum est hoc medicamen a Coindet. Observationes permultae ad nos pervenerunt de utilitate Iodi in scrophulosi, attamen non constat, qua in forma hujus morbi fructum ferat, qua in forma nihil prosit. Watzer enim, qui permagnam copiam scrophulosi laborantium hoc medicamine curavit, tantum in forma scrophuloseos torpida Iodum prodesse dicit, nec vera in forma sic dicta florida. Asmus iterum e contrario affirmat, se plus in forma florida hoc medicamento effecisse, quam in forma torpida. Hic auctor etiam censet, Iodum non adhibendum esse dosibus magnis, ut quam celerrime aliquid efficeretur, sed potius dosibus parvis et in intervallis, et quidem per longum tempus; diaetam vero aptam nunquam esse negligendam, nec non corporis motionem valde necessariam. Novissimis temporibus Lugol plurimum Iodo contra scrophulosin usus est, atque optimo eventu in omni hujus morbi forma, excepta carie scrophulosa; praecipuè ab eo commendatur solutio Iodi in aqua. Experimenta ejus in no-

socomio St. Louis instituta eventu faustissimo ornata esse, societate litterarum regia probatum est. Eager bonum illum exitum a diaeta apta maxime dependere jure affirmat. Lugol et Eager cum usu interno jodi usum externum conjungunt.

Etiam in tabe meseraica bono eventu in usum vocatum est a Gairdner, Krimer, Brera, Callaway et Gassaud; sed hoc in morbo ferrum jodatum utilius esse videtur quam Iodum purum et Kali hydrojodicum. Quum Iodum in scrophulosi tantam utilitatem praeberet, mox hoc medicamen a multis etiam contra tuberculosin pulmonum et phthisin in usum vocatum est.

Multi etiam in his morbis jodum laudant, e. g. Haden, Gairdner, Baron, Lugol, Masson; alii vero, ut Laennec etc., valde vituperant hoc medicamen. Alii etiam affirmant, Iodum, ubi constitutio tuberculosa adsit, phthisin accelerare, atque exempla referunt, velut Haeser. Iodum in forma vaporis adhibere, ut Berton et Scudamore commendant, certe vituperamus cum Baudelocque et aliis. Sunt etiam qui affirment, utilitatem olei jecoris Aselli contra tuberculosin non dependere a Iodo ei inhaerente.

VII. Gonorrhoea.

Etiam in Gonorrhoea, et in stadio inflammationis et post inflammationem sublatam et in gonorrhoea secundaria sive chronica, Iodum a Ricord, Henry et aliis praecipitur; Ricord magis laudat ferrum jodatum. Majorem vero utilitatem praebet contra morbos, qui sequi solent gonorrhoeam, praecipue contra tuberculosin ex gonorrhoea ortam, ut Giete enarrat, atque usus et internus et externus contra stricturas urethrae, secundum Truestedt et Asmus.

VIII. Syphilis.

Majoris momenti, quam pro gonorrhoea, pro therapia morborum Veneris jodum, praecipue vero kali hydrojodicum est, ut ex multis factis, quae referunt Tyrel, Wallace, Mayo, Elliotson multique alii, videmus. Omnium plurima experimenta cum kali hydrojodico instituta sunt. Centum quadraginta duos, variis morbis syphiliticis laborantes hoc medicamine in integrum restituit Wallace, et quidem sex iritide, sex orchitide, decem variis ossium et articulorum malis, nonaginta septem

morbis cutaneis, viginti membranae mucosae oris, nasi et faucium malis laborantes. Tres feminae gravidae kali hydrojodicum assumebant, ne foetus contagio syphilitico inficeretur. Habersch, qui ipse odservabat experimenta illa a Wallace instituta, dicit, si ex constitutione scrophulosa, aut hydrargyri largiori usu, aut rebus familiaribus infaustis etc. forma syphilidis mala orta est, tum kali hydrojodicum optimum esse remedium. — Germanorum primus fuit Ebers, qui Wallace secutus est, et qui hoc medicamen valde laudat, praecipue ubi morbus indolem praebet hypertrophicam, ubi scilicet materiae incrementum praevalet, et quidem maxime in cute et ossibus. Sed ubi morbus indolem prae se tulit atrophiae, nempe substantiae decrementum, Iodum nihil valebat. Sed quo narrat de effectu hujus medicaminis, nempe de viribus mox restitutis, laetitia intrante, appetitu, colore meliore, incremento corporis et aliis, nos credere non possumus.

Nostra opinione, quae ex animadversionibus permultis prodit, kali hydrojodicum nullo modo remedium antisyphiliticum dici potest, sed potius antihydrargyricum est et antiscrophulosum, atque ubi complicatio adest cum scrophulosi, aut largior usus hydrargyri antecesserat, kali hydrojodicum indicatum est.

IX. Ptyalismus mercurialis.

Knod de Helmenstreit primus bonum effectum Iodi contra salivationem ex usu hydrargyri ortam divulgavit, quod dein Kluge, Marcus et alii confirmabant. Kluge in nosocomio Caritatis Berolinensi septemdecim ptyalismo laborantes Iodo omnino curavit tempore brevissimo.

Intumescentia partium mollium oris permagna, salivatio copiosissima, dolores saevissimi brevi tempore evanuerunt, atque appetitus ciborum bonus rediit, ulcera mercurialia etiam sanabantur. Kluge commendat Iodi solutionem cum natro muriatico aut kali hydrojodico in aqua, nec vero jod. pur. in spiritu vini, ut Knod. Quibus relatis dubitare non possumus, quin Iodum perbonum sit remedium ptyalismi, quamquam sunt, qui id refutent, ut Heyfelder et alii; nonnulli etiam referunt, ex usu jodi, postea quam hydrargyrum in usum vocatum est, ptyalismum ortum esse, e. g. Buchanan et Moulius.

X. Stomacace.

Ut contra ptyalismum, sic quoque contra stomacacen Knod Iodum primus commendavit, atque Kühn et Frie-

derich optimo eventu in hoc morbo utebantur Iodo, Tünnemann etiam contra nomam idem impendebat.

XI. Amenorrhoea, Chlorosis et Fluor albus.

Hos morbos, contra quos non raro Iodum usurpatum est, hic conjunctim pertracto, quia saepe conjuncti nobis occurrunt; primum Coindet Iodum optimum esse emmenagogum animadvertit, atque dein Brera bonum remedium contra amenorrhoeam Iodum commendavit. Alii etiam, ut Wolff, Dzondi et Goelis, Iodum vim habere specificam in systema uterinum contendunt; Goelis tamen idem ob malam vim in organa respirationis non semper adhiberi vult. Alii vero, e. g. Formey etc. hoc medicamen in amenorrhoea laudare nolunt. Gimelle, qui Iodum contra strumam adhibuit, enarrat, etiam leucorrhoeam, quae simul adesset, evanuisse, quare dein saepius in usum vocavit Iodum contra hoc malum, et quidem eventu optimo, quod alii, ut Jewell, Müller, Asmus, Martini affirmant. Contra hoc malum quidem interne est adhibitum, Müller autem etiam usum externum, et quidem infrictiones ad latus internum femorum laudat. Notandum hic est, aquas minerales, quibus inest Iodum, contra sterilitatem et impotentiam valde laudari

Lolotte etiam memoriae prodidit, se galactorrhoeam valde progressam febrique hectica jam comitatam Iodo curavisse; idem Kaufer refert.

XII. Arthritis et rheumatismus chronicus.

Gendrin primus fuisse videtur, qui Iodum et in arthritide adhibuit, atque anno millesimo octingentesimo vicesimo octavo, quae hac de re experientia observaverat, nos docuit. Initio hoc remedio tantum externe utebatur in nodos et tophos arthriticos inveteratos; mox vero, quia effectus hujus medicaminis optimus erat, etiam in arthritide acuta et interne et externe eo utebatur eodem cum optimo eventu. Septem arthritide acutissima laborantes omnino curavit; non solum paroxysmus evanuit, sed etiam usu jodi per duos tresve menses durante, quominus morbus recidivus fieret, impediebatur. Adjuta etiam est curatio in omnibus casibus diaeta apta, quae tonica et roborans erat in arthritide chronica, anodyna in acuta. Valentin quoque experientia sua comprobat vim bonam Iodi in hos morbos, nec non Gadier, Fardy, Oliver. Eodem modo narrat Ebers, se arthritidem jam inveteratam cum intumescentia ossium articulorum Iodi usu curavisse, quod idem Jahn affirmat. — Asmus vero in

his casibus Iodum non laudat. Magendie Iodum in rheumatismum chronicum vim habere laudabilem contendit, et Glendinning, se non solum in periostitide syphilitica, sed etiam ex aliis causis orta, Iodum felicissimo cum eventu adhibuisse dicit, postquam permulta alia remedia frustra in usum vocata erant; etiam in rheumatismo articulorum acuto valde laudat jodum. Secundum quem auctorem ea de causa jodum aliis remediis praeferendum est, quod 1) quam diu febris absit, ciborum abstinentia non opus est, 2) quod ut remedia diaphoretica et mercurialia ad refrigerationes non disponit, 3) quod vires non exhausit et 4) denique, quod cum medicaminibus tonicis et adstringentibus cum opio et hydrargyro optime conjungi potest.

XIII. Morbi cutanei chronici.

Quamquam nonnulla Jodi praeparata in morbis cutaneis dignitatem adipiscebantur, tamen Jodum purum et kali hydrojodicum raro adhuc in hos morbos administratur, licet plurima existant exempla, quibus optimum praebebat effectum, cujus rei testimonium nobis referunt multi ingeniosi medici experientia sua probatum, ut Tünnermann, Gimele, alii. Sic M'Lure impetiginem figura-

tam, quae variis remediis per longum tempus frustra tractabatur, unguento kali hydrojodico mox sanavit. Sic etiam Jeffray varios psoriasis casus hoc remedio sanavit. Asmus vero iterum unicus fere est, qui Jodum non laudat. Sed Hancke, Baudelocque, alii nobis sunt testes boni pro dignitate hujus medicaminis.

XIV. Hydrops.

De utilitate Jodi in hydrope variae existunt opiniones, atque iterum Asmus est ille, qui hoc in morbo Jodum omnino vituperat. Jahn vero credit, se Jodum non satis laudare posse. Hydrocelen saepius se sanasse ait unguento kali hydrojodici. Eodem modo asciten et hydrothoracem usu interno et externo Jodi curavit; praecipue etiam in hydropsia, quae sequi solet morbos exanthematicos, e. g. scarlatinam, morbillos, bonum remedium laudat Jodum, non minus ac in hydrocephalo tam acuto quam chronico.

Sic etiam Coster plures casus hydropis, praesertim abdominis ex degeneratione organica orti refert, quibus magnae utilitatis invenerat Jodum. Huc quoque pertinent, quae narrantur a Bradfield, Kissan et Deleiz, contra quos iterum Gairdner Jodi effectum in hydropem

negat, quamquam ipse casum unum hydropis ovarii Jodi usu sanavit, quod idem occurrebat Baron; multi alii etiam, ut Sauer, Mac-Adam, Jodi in hydropem vim perbonam comprobabant. Jodum non diuretici remedii vim habere, sed potius causam morbi tollere videtur. Quod attinet hydrocephalum, praeter Jahn tantum Ryan et Caldwell exhibent exempla spectatae Jodi utilitatis. — Asmus tantummodo hydrarthri Jodum bonum remedium invenit. Contra Hydrocelen non solum a Jahn, sed etiam ab ingeniosissimo Ricord valde laudatur.

XV. Morbi nervorum.

Etiam in nervorum morbos Jodum a multis commendatur, sed quod facta huc pertinentia attinet, nobis licet aliquid dubitare. Sic Magendie et Franklin epilepsiam Jodo se sanasse tradunt. Manson septuaginta duos (!) casus Choreae St. Viti eodem medicamine sanavisse vult, exceptis multis casibus paralyseos, paraplegiae, hemiplegiae etc. Quod idem confirmatur ab Elliotson, Bardley. Et multa alia nervorum mala, ut incontinentia urinae etc., jodo sanata esse dicuntur.

V I T A.

Natus sum, Ferdinandus Lubowski, fidei addictus veteri, anno MDCCCXVII oppido Silesiae superioris Katscher, patre David et matre Caecilia e gente Polko, quibus adhuc salvis magnopere laetor.

Primis literarum elementis domi imbutus, gymnasium adii Oppoliense, tum Ratiboriense et denique in gymnasio Leobschützensi adeptus sum testimonium maturitatis. Anno 1837 Vratislaviae ab Ill. Bernstein, rectore t. t. magnifico, in civium academicorum numerum receptus, nomen professus sum sub auspiciis Ill. Pohl, t. t. decani ordinis philosophorum. Anno post sub Ill. Otto decano transii ad medicorum ordinem, cujus studiis biennium tantum interesse potui, propterea quod morbus periculosus per annum totum me vexabat.

Sanatus anno 1839 Berolinum me contuli, quo ab Ill. Lichtenstein, t. t. rectore magnifico, et ab Ill. Osann

beato, t. t. decano, receptus sum; sed semestri peracto Vratislaviam redii, ubi per annum lectiones medicorum frequentavi. Denique almam Berolinensem iterum petii, ubi Ill. de Raumer, rector magnificus, me recepit et Ill. Mueller, decanus maxime spectabilis, ordini medico me adscripsit. Hisce interfui lectionibus: Ill. Rohofski de psychologia; Ill. Braniss de logice et aesthetica; Ill. Stenzel de rebus gestis; Ill. Pohl de physice; Ill. de Glocker de mineralogia; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Nees ab Esenbeck de botanice; Ill. Otto de anatome et practica et theoretica, de historia foetus, de anatome comparata; Ill. Henschel de hodegetice studii medici et de pathologia universali; Ill. Fischer de chemia; Ill. Purkinje de physiologia; Ill. Benedict de chirurgia et ophthalmiatrice; Ill. Betschler de gynaecologia; Ill. Wendt de materia medica et morbis psychicis et de therapia speciali; Ill. Remer de medicina forensi; Ill. Klose de therapia universali et de politia medica; Cel. Romberg de auscultatione et percussione.

In clinicis duces mihi fuerunt Illustrissimi Benedict, Betschler, Kuh, Remer et Schoenlein.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, atque examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

THESES.

1. In quocunque morbo pectus inquirendum est tubo auscultatorio.
2. Febris nihil aliud est nisi affectio partium centralium systematis nervosi participans.
3. Dyscrasia refutat quamcunque, imo exiguam, operationem.
4. Trepanatio non prius adhibenda est, quam turbationes cerebri in lucem proveniunt.